cognoscit. & quęque sollicita indagatione reppererit. nobis
subtiliter indicet. ut ueritate sicut diximus cognita. fratris
& coepiscopi nostri reuerentissimi mariniani animos releuemus.

LX. GREG. MARINIANO EPO. RAVENNAM.

Fraternitatis uestrae scripta suscepimus. in quibus indicastis.
florentinum diaconum uestrum pro quibusdam utilitatibus ecclesię uestrę
ad urbem uos regiam uelle transmittere. & quia uoluistis. ut
eum dilectissimo filio nostro anatolio diacono. super scriptis de
buissemus apicibus commendare. scribere enim curabimus.
ut illi in quibus ualuerit & necesse fuerit adesse non differat.
Ipsaque scripta ad uos transmisimus. ut secum ea quę di
rexeritis debeat deportare. De persona uero quam in sacro uos
diceretis uelle ordine promouere. uidetur nobis. ut si nihil est
quod uitę eius obsistat. & ei a nullo res quam indicastis obicitur.
quod uobis uisum fuerit faciatis. De aliis uero causis uolumus
uobis ut sollicitudinem gereretis scribere. sed postquam
unam uobis commisimus. quę per neglectum uestrum deperit.
de aliis tacere eligimus. ne & ipsas similiter perderemus.

LXI. GREG. ANATOLIO DIACONO & APOCRISIARIO CONSTANTIN.

Frater & coepiscopus noster marini
anus. ad urbem regiam pro ecclesię suę utilitatibus diaconem suum
se scripsit uelle dirigere. & quia eum dilectioni tuę magno
pere uoluit commendari. scriptis presentibus adhortamur.
ut ubicumque necesse fuerit. salua ei ratione concurras. & ita
iniunctis illi opitulari festines. ut karitatem tuam de qua pre
dictus frater noster ualde confidit. cognoscat in opere.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0450